

duci jussu consulis jam pridem oportebat ; in te conferri pestem quam tu in nos [jam diu] machinaris. 3. An vero vir amplissimus, P. Scipio, pontifex maximus, Ti. Gracchum mediocriter labefactantem statum rei publicae privatus interfecit : Catilinam, orbem terrae caede atque incendiis vastare cupientem, nos consules perferemus ? Nam illa nimis antiqua praetereo, quod C. Servilius Ahala Sp. Maelium novis rebus studentem manu sua occidit. Fuit, fuit ista quondam in hac re publica virtus, ut viri fortes aceribus suppliciis civem perniciosum quam acerbissimum hostem coërcerent. Habemus senatus consultum in te, Catilina, vehemens et grave. Non deëst rei publicae consilium, neque auctoritas hujus ordinis : nos, nos, dico aperte, consules dësumus.

## II.

4. Decrevit quondam senatus, ut L. Opimius consul videret ne quid res publica detrimenti caperet. Nox nulla intercessit : imperfectus est propter quasdam seditionum suspicione C. Gracchus, clarissimo patre, avo, majoribus ; occisus est cum liberis M. Fulvius consularis. Simili senatus consulto C. Mario et L. Valerio consulibus est permitta res publica : num unum diem postea L. Saturninum tribunum plebis et C. Servilium praetorem [mors ac] rei publicae poena remorata est ? At nos vicesimum jam diem patimur hebescere aciem horum auctoritatis. Habemus enim hujusce modi senatus consultum, verum inclusum in tabulis, tamquam in vagina reconditum, quo ex senatus consulto confestim te imperfectum esse, Catilina, convénit. Vivis, et vivis non ad deponen-